



## NECROLOGIA



† A. R. P. Iacobus Klinger (1882-1947)

(*Prov. S. Pauli*)

Iacobi Klinger (in Brasilia passim vocabatur *Padre Tiago*) natalis locus est Eitting Bavariae et dies natalis 1 Oct. 1882. Die 12 Aug. 1896 ingressus est in iuvenatum Provinciae G. S., tunc temporis in Dürrnberg extra Germaniae fines situm. Vota nuncupavit in Gars 8 Sept. 1905. Presbyteratus ordinem recepit in Deggendorf 13 Iun. 1910. Die 4 Jul. 1911 coepit in Brasiliam navigare una cum R. P. Ios. (Sebastiano) Schwarzmaier et Fr. Matthia Forner.

In Novo Mundo per 36 annos totum se dedit variis operibus ab obedientia religiosa iniunctis.

Primum fuit Lector iuvenatus, tum per 6 annos eiusdem Director et per alios sex annos Visitator seu Vice-Provincialis. Annis 1935-1937 qua Rector domus Cachoeira in Stato meridionali Rio Grande do Sul coepit exstructionem pulchri templi S. Antonii Patavini, et iterum Cachoeiren-sis Rector erat, cum mortalem vitam cum immortalitate commutavit 6 Mart. 1947. Interim etiam in Araraquara et in Penha Rector fuerat et hoc ultimo loco simul Consultor Vice-Provincialis. Ergo fere semper vixit in superioratu.

P. Klinger omnia sua officia diligenter exequi studebat. Multas praedicavit missiones et multos exercitorum cursus, et ut contionator confessariusque magni aestimabatur. Aliis, praesertim iuventae, carus erat ob animum festivum, affabilem promptumque ad adiuvandum et solandum. Si quando nimio ardore naturali peccarat, statim inficto vulneri mederi satagebat. Artis musicae peritissimus, libenter hac peritia utebatur et in domo Dei et in festis familiae. Ut Director iuvenatus ardenter puerorum ludos participabat, aegre tamen ferens suas clades.

P. Klinger erat disciplinae regularis studiosissimus, Congregationis confratrumque amator, gratus in conversando socius et in vinea Domini operarius assiduus. Propterea SS. Redemptor ei gratiam concessit moriendi in campo apostolatus nostri.

Inde ex a. 1945 arteriosclerosis cor eius adeo debile reddiderat, ut bonus P. Tiago foras exire prohiberetur, cum magno, ut patet, suo dolore. Tamen ineunte a. 1947 a P. Provinciali petiti obtinuitque licentiam, ut missionem parvi loci Chapada participare posset. Laetus eo cum R. P. Gomes proficiscitur; sed statim vires eum deficere incipiunt. Die 6 Martii celebrando abstinet; nihilominus postea habet parvum sermonem. Ad



prandium quasi non tangit cibos; tum in cubiculo suo quiescit. Mox audit P. Gomes strepitum portae vento agitatae, accurrit et reperit P. Rectorem iam agonizantem et sensibus destitutum, quare statim ei administrat ultima sacramenta. Haud longa mora, et bonus P. Klinger reddit Creatori animam.

Corpus exanime, in ecclesia paroeciali expositum, per totam noctem circumdatur a fidelibus precantibus; tum transfertur ad nostrum sepulcretum in Pinheiro Marcado, ubi Pl. R. P. Provincialis Pires in suo elogio funebri defuncto confratri publice gratias agit de tot tantisque servitiis Provinciae praestitis. R. I. P.

HECHENBLAICKNER-HENZE